



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Epitome Tribvnalis Sacramentalis Reverendissimi Patris Petri Marchantii

Zurmöllen, Heinrich

Neuhusii, 1677

Art. 1. De obligatione amoris filiorum erga parentes, & peccatis eorum

urn:nbn:de:hbz:466:1-9734

TITVLVS XVII.

*De obligatione Filiorum erga
Parentes.*

Articulus Primus,

*De obligatione amoris Filiorum erga
Parentes & peccatis eorum.*

I. **I**N tribus consistit obligatio amoris
erga Parentes, nimirum. 1. Nec ma-
lum eis velle, nec malum inferre. 2. Posi-
tive amare & bene velle ac benefacere. 3.
Omnem injuriam & nocumentum (quan-
tum in nobis est) ab eis propulsare.

2. Quicumque igitur odio malevolen-
tia, vel gravi indignatione animi fertur in
Parentes: aut aliquo opere externo odiū,
malevolentiam, vel indignationem gra-
vem ostendit, peccat mortaliter. Id scriptu-
ræ passim indicant de maledictionibus,
contemptu, derelictione, pravo affectu, af-
flictionibus, contristationibus parentum.
*Exod. 21. Qui maledixerit patri suo vel ma-
tri, morte moriatur. Deut. 27. Maledictus
qui*

qui

qui non honorat Patrem suum & Matrem
& dicet omnis populus Amen. Proverb. 19.
Oculum qui subsannat Patrem & qui despi-
cit partem Matris sue, effodiant eum corvi
de torrentibus, & comedant eum filij aquila
, ex quibus manifestum est peccare
mortaliter.

1. Qui odio & pravo affectu in parentes
feruntur, eis mortem optantes vel de eo-
rum notabili damno gaudentes.

2. Qui maledictionibus, contumelijs, ver-
bis injuriosis eos afficiunt.

3. Qui quovis modo alloquio duro, vel
toruo aspectu eos affligunt.

4. Qui in suis domibus eos recipere no-
lunt, nisi forte alibi æqualiter eis provi-
deant, sicut in propria domo: alias enim re-
putarentur eos affligere & velut à sua do-
mo fugare.

5. Qui contemnunt, subsannant, irrident,
vel eos quovis modo despiciant.

Petes: quæ censeatur materia gravis in
odio, malevolentia, aut injuria erga Paren-
tes: R. Quæ censeatur gravis in proximum,
est summa, si sit in Parentem, ratio desun-
tur

tur ex parte gradus obligationis : Si enim teste S. Joanne 1. Cap. 3. Omnis qui odit fratrem suum homicida est, consequenter, qui odit Patrem suum parricida est, adeoque ad peccatum mortale hic non de requiritur tanta materia quam alias.

3. Deinde filij tenentur positive amare parentes, & ubi ratio postulat illis benefacere alimenta præbendo, in infirmitate & occurrentibus casibus, illis per se vel per alium assistendo, opitulando, à carceribus liberando, &c. & qui in istis notabiliter sua culpa deficit, peccat mortaliter. Expenditur vero debitum filiorum in parentes. 1. Æstimatione ipsius esse. 2. Æstimatione sollicitudinum, laborum, periculorum, quæ parentes sustinent in filiis alendis & conservandis. 3. Ob educationem, quia ab ipsis educatio & institutio filiorum pendet. Etiam illud naturæ ciconiarum instinctu probatur, quæ parentes in senectute alunt, conservant, & ubi opus est, deportant.

4. Petes : an possit filius intrare Religionem parentibus in necessitate relictis.

T

R. Fi-

R. Filium Religionem intrare non posse, minus profiteri, si parentes habeat in necessitate actuali gravi constitutos, & speret illis se posse in aliquo opitulari, quia obligatio juris divini naturalis, antecedit omne opus voluntarium & liberum quantumcunque sanctum.

§. Petes 2. quid agendum illi qui vovit Religionem, aut de facto Religionem est professus: R. durante vita & necessitate Parentum, si nondum est professus, non potest licite profiteri: nec Religionem ingredi, si nondum est ingressus: si vero sit professus, potest egredi ad subveniendum parentibus, mortuis autem parentibus aut finita necessitate, tenetur ad munia Religionis ac voti onera & ad ordinem unde egressus regredi, quia obligatio votorum semper perseveravit.

Articulus Secundus.

De obedientia Filiorum erga Parentes.

I. **I**N omnibus justis, licitis & honestis, ad curam Paternam pertinentibus, tenentur filij parentibus obedire. Ita Apostolus:

Stol: